



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

9. Arma laureata, quæ?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

ret; ambiguum posteris reliquisse? Atque hoc præclare olim intellexisse videntur Mitylenæi præcipuam esse in Republ. vim litterarum, qui quos populos bello devicerant, nullam eis aliam pœnam irrogabant, nisi ut ne liberos suos litteras edocerent. Muretus vol. 1. Orat. 2. de laudibus litterar. Duæ sunt artes, inquit Cicero pro Muræna, quæ possunt locare homines in amplissimo dignitatis gradu: una imperatoris, altera oratoris boni: ab hoc enim pacis ornamenta retinentur: ab illo belli pericula repelluntur.

Utrinque (ex litteris & armis, quæ duo conjunxit Amphiarus) magnum decus, magna commoda, magna emicat gloria.

IX. (i) Laureata Amphiarai hasta in animum mihi reducit. Hastam illam Constantini M. quam in signum labarum militare, per modum Crucis, in cœlo conspicuæ, erexit; quippe per quam salutem, victoriâque adversus Maxentium tyrannum consecutus fuisset. Quænam verò gloriosior vel laurus, vel laureata hasta est, quàm quæ Dei gloriæ militavit: Tartari vires contrivit, disiectisque superstitionum tenebris, veræ Religionis jubar, longè, latèque propagavit? De qua Prudentius adversus Symmachum lib. 1. de potentia crucis.

----- Tunc ille senatus (scilicet Romanus)
Militiæ ultricis titulum, Christi que verendum
Nomen adoravit, quod collucebat in armis.

Et ibidem:

Testis Christicolæ Ducis adventantis ad urbem
Milvius, exceptum Tiberina in stagna Tyrannum
Præcipitans, quanam victricia viderit arma
Majestate regi, quod signum dextera vindex
Prætulerit, quali radiarunt stemmate pila.

Figuram ejus hastæ ita depingit Eusebius apud Baron. ad annum Ch. 312. Hastile erat oblongum, erectumque auro undique obductum, quod cornu (seu bacillum) habuit transversum, ad formam crucis constructum; in fastigio operis corona affixa, lapidibus pretiosis, & auro circumtexta. In ea salutaris appellationis Salvatoris nota inscripta, duobus solum expressa elementis, id est, duabus primis litteris Græcis nominis Christi: erat P. in medio litteræ X. curiosè & subtiliter inserta, quæ totum nomen Christi perspicuè significarunt. Velamen ex cornu transverso pendeat, quod crucis mensuram æquavit, & illud gemmis & auro pretiosum. Hæc Eusebius. Nobile sanè trophæum, & omni-

R r

bus

(i) *Arma laureata Deo dedicanda.*

bus belli Ducibus ob oculos ponendum: ut meminerint gladios & hastas suas non innocentium sanguine pingere: non rapinis & iniquis spoliis cingere; sed lauros eis inflectere, hoc est, justitiæ, fortitudinis, continentię laudes appendere, armæque in Dei causa vibrata, Deo victoriarum Datori, suis in templis, quod majores nostri fecerunt, dedicare.

X. (k) Amphiaræus tellure absorptus, laureatum telum, seu hastam, reliquit; quò significatur nominis post fata superstes fama & immortalitas. In tenebris jacerent fortissimorum virorum res gestæ, nisi lumen litterarum accederet. Deslueret in cineres memoria, nisi eam ab oblivione litterarum monumenta vindicarent. Gloria factorum eboris est instar, quod assiduo contactu, nitorem contrahit ætatum consequentium; & perpetuo velut affricu, splendidior existit, benefició litterarum,

(k) *Litterarum dignitas ad famam militarem illustrandam.*

SYMBOLVM LIV.

Hebe & Ganymedes, Iovis Pocillatores.

Ex Homero lib. 4. Iliad. Virgilio 3. Æneid. Mythologo lib. 2. s. s. & lib. 9. s. 13.

Ethicè.

1. Favor Principum inconstans.
2. Virtus & doctrina commendant formam.
3. Cur quidam in flore ætatis moriantur?
4. Virtus & invidia evehunt in astra.

Heben Latini, Tullio teste, *Inventatem* (id est, juventutis deam) vocarunt; Poëta Junonis filiam fuisse dixerunt; & fabulosum ejus ortum hunc memorant. Fuit, cum Juno ab Apolline, in domum Jovis ad convivium vocaretur; in eo præter nobiliores dapes, agrestes lactucæ appositæ fuerunt (nam dii ambrosiam quoque simplici ore distinguebant esca,) quas ubi Juno comedit, cum antea esset sterilis, repente fit gravida, & Heben filiam parit. Ea cum pulcherrimæ formæ esset, Juventuti præficitur ab ipso Jove; & id præterea illi munus datum est, ut Jovi pocula ministraret, caput ornata sermo variis è floribus textis. Verum cum aliquando inter ministrandum incautiùs & indecorè lapsa